



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SS. Fides, Spes, Charitas. VV. MM. 1. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

480 VITÆ SANCTORUM. I. *Ang.*
Christus fuerat. JOANNES rebus om-
nibus abjectis pauperem etiam ipse in-
duit, Societatemque condidit, quam
Urbanus V. Pont. probavit, patrocínio
infantum inductus, qui matres suas, ut
Iesuatis (ita is Ordo appellatur) benefa-
cerent, monuerunt, tam magni orato-
res quàm parvi fuerunt. *Ex Ferrar.*

*Habeamus hospitalitatis curam, non ut
momentaneam solam retributionem accipia-
mus; sed ut reponamus nobis immortalium
bonorum fruitionem. Nam si hoc facimus,
suscipiemus & nos Christum, & suscipiet
etiam ipse nos in mansionibus, quas prepara-
vit diligentibus se. S. Chryl. in Gen.*

SS. FIDES, SPES, CHARITAS. VV.
MM. I. *Augusti.*

Felix Roma, cui, quas nullus unquam
pingere satis belle pictor potuit, vi-
vas spectare virtutes licuit, FIDEM in-
quam, SPES & CHARITATEM *Sophia* fi-
lias, Charitum Christianarum ipsissimam
trigam. Ex his maxima XII. altera X. na-
tu minima IX. omnes paucos annos, sed
plurimas palmas numerant. Ecce enim
virtuti, ut solet, Tyrannus bellum movet,
sed matre duce & junctis copiis omnes
vincunt. Igitur duello singulas aggredi
Urbi Præfectus statuit, & primò quidem
FIDEM. Contra hanc flagris pugnat: at ter-
gum pro scuto objicit FIDES. Sarraginem
ad-

I. Aug. VITÆ SANCTORUM. 481
admovet ardentem ille hæc ridet arie-
tem. Ubera refecat gladius. Gaudet F I-
D E S ostentare hæc cælo vulnera. Caput
rescinditur, coronatur scilicet. Ergo
SPEM aggreditur tortor, & nervos in vir-
ginem armat: at his ipsis fortior puella
est. Jubetur proin ignis sævire, sed ad
virginem hic deficit & in hostes ipsius
pugnat. pice ardenti & bitumine per-
funditur; nempè ad novam luctam inun-
gitur. In hac sororis mortuæ amplexibus
inhærens ense vincit etiam ipsa, dum ca-
dit ense. Iamquæ ad tertiam gradum fa-
cit Tyrannus bis victus: suspenditur
CHARITAS ab equuleo, laniatur flagris.
Sed ne audacter ivisse in hostem credas,
noveris in rogam suapte sponte insiliisse
terebrâ post perfossam & gladio cæsam.
Porrò mater magnanima SOPHIA, quæ
& filias præsentia suâ & sese filiarum vir-
tute hucusque animaverat, triduo post
inter funera sua funus etiam ipsa depre-
henditur. Sed tamen ne tu, ne luctu cre-
das hoc factum Roma. Hanc enim ego,
vel nullam aliam Matronam gaudio e-
mori potuisse Livio credam. Ex Surio.

*Funiculus Fidei, Spei & Charitatis, qui
difficile rumpitur, compedita tenet humi-
lium corda, nec patitur illa extolli, aut à
virtutum tramite deviare, quin potius ele-
vat ad summa & conjungit Deo, facitque
gustare gaudia sempiterna. S. Laur. Ju-
stin. de humil.*

Hh

S. THEO-